



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

33 Quapropter necessitas, equitasq[ue] ipsa sibi postulant ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

Malefactores hos publice criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea per quod rarissimum uncti illi malefactores merita plecentur poena. Adhuc adstringuntur, obliganturque Episcopi per sua Capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam iura, poenis utcumque leuibus, punire, affligereque non audeant. Quae res tota eo spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac Ecclesiasticos, similitates, dissidia, atque odia plus quam Vatiniana oriantur.

Illud quoque non mediocriter timendum est, ut si personae ecclesiasticae, iam dicti oneris, aliorumque malefactorum causa, quae quotidie perpetrare pergunt, non equa iura, iudices equos, paresque poenas habeant, quod eorum vita offendiculosa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos ecclesiasticos, sed & contra magistratus, ac superiores omnes, quod impunita sinant maleficia tam notoria, commotura, excitaturaque sint. 32

Quapropter necessitas, equitasque ipsa sibi postulant, ut ecclesiasticarum personarum praedicta praesumpta privilegia abrogentur, aboleantur, e medio tollanturque, ac illarum gratia finaliter sanciantur, caueatur, ac statuatur, quod ordinati in maioribus vel minoribus constituti, vna cum personis laicis, equa habeant iura, equos iudices, paresque poenas: ita quod ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam praetendere possint praerogatiuam, immunitatemue, sed ut quisque delinquentium ecclesiasticorum, sub quo deliquit iudice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram, non secus atque alij malefactores, poena a iure communi imperij imposita delicto, commensurataque, plecti, puniri, & affici possit atque debeat. Id quod vere ecclesiasticis, hoc est patribus & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc ledi ius eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantum ecc.

eclesiastici, alioqui improbi nebulones, ad obedientiam maioribus debitam, ac ad bene honesteq; viuendum compelluntur. Ad hæc seditiones, simultatesq; inter eos atq; laicos præcaueantur, euitenturq;. Deniq; & hoc ipso laici ad obseruandum, colēdumq; integrę vitę ecclesiasticos eo magis inuitabuntur, permouebunturq;.

DE ONERE BANNI SEV EXCOMMUNICATIONIS.

34 Item Romę cæterisq; in locis per Archiepiscopos ac Episcopos, aut certe eorū ecclesiasticos iudices, multi Christianorum ob causas prophanas, ob pecunię deniq; ac turpis quęstus amorem excōmunicantur, multorūq;, sed eorū in fide infirmorum conscientię per hoc aggrauātur, & in desperationem pertrahuntur, ac deniq; ob pecunię, lucrive tantulum, aut alioqui res minimi præcij, ad internitionem vsq; animę, corporis, honoris, atq; rei familiaris, contra diuina humanaq; iura perducuntur. Quando nemo, nisi ob conuictum hæreseos crimen, excōmunicationis gladio feriendus, aut pro secluso a Christiana catholicaq; ecclesia, sacris literis testantibus, reputandus est. Eapropter Sac. Ro. Impe. Principes, proceres ac Status laici rogant, vt Pontificia sancti, tanq; fides Christianus, ac pius pater, velit præfatum onus Banni, seu excōmunicationis, apud sedem Romanam penitus abolere, ac apud cæteros Archiepōs, Epōs, & eorum iudices ecclesiasticos ablegare, tollere, & deniq; ita sancire, cauereq;, vt nemo vllam ob causam q̄ manifestum ac conuictum hæreseos crimen, & quantum ad sacrosanctam Christi fidem at tineret, excōmunicationis fulmine feriat, aut pro secluso a Christiana ac catholica ecclesia, habeatur. Per iniquum si quidem est, fideles Christi ob temporalium bonorum, lucrive, aut deniq; vllam aliam humanarum constitutionum transgressionem, excepta hæresis perfidia, a deo opti. maximo, suaq; ecclesia catholica excludi, seiungi, separariq;.

Quo